

MAGNUS AB HUNGARIA 30)  
**LADISLAUS.**

MAGNA HUNGARIA

<sup>A</sup>  
**LADISLAO.**

*ID EST :*

**PANEGYRICUS  
TUTELARIS  
INCLYTÆ NATIONIS  
HUNGARICÆ**

*C O R A M*

**ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA  
UNIVERSITATE VIENNENSI ;**

*D U M*

*In Principe Divi Stephani Proto-Martyris Basilica Inclyta  
Natio Hungarica ejusdem D. Patroni sui Annua celebraret solennia.*

**D E F E R E N T E**

Admodum Reverendo, ac Clarissimo Patre

**P. ANTONIO VANOSSI**

E Soc. JESU, AA. LL. & Philosophiæ Doctore,  
Eloquentiæ Professore, nec non Inclytæ Nationis  
Hungariæ p. t. Procuratore.

**O R A T O R E**

ILLUSTRISSIMO DOMINO

**JOSEPHO IGNATIO BORNEMISSA**

L. B. de Káczon, Eloquentiæ Studiofo.

*ANNO INCARNATIONIS DOMINICÆ MDCCXX.*

—————  
VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis Joann. Baptistæ Schilgen, Universitatis Typographi.




AUGUSTISSIMO,  
INVICTISSIMO,  
<sup>AC</sup>  
POTENTISSIMO  
CAROLOVI.  
ROMANORUM  
IMPERATORI,  
Germaniæ, Hispaniæ, Hungariæ,  
Bohemiæ, &c.

REGI,  
ARCHIDUCI AUSTRIÆ,  
DUCI BURGUNDIÆ,  
COMITI TYROLIS, &c.

DOMINO DOMINO  
CLEMENTISSIMO.







# AUGUSTISSIME CÆSAR



*Magna omnia Argumento  
complexus, quibus aris hæc  
Orator adsternerem? nisi  
Magnis. Iis nempe, quas si  
Romano-Austriacas origine purpura  
non reperisset, meritis fecisset Virtus.*



Prototypum Ectypo dedico ; Magnorum Ideam Principum LADISLAUM Magni Cæsari. Magni Providentiâ, Fortitudine, Pietate. Amat illam Europa melior : veretur alteram livor, ambitio, dolus : Felices hæc omnes reddidit. Ut debeam, jussit Tua, Cæsar Magnæ, in Genitorem meum munificentia ; ut porro testari gratæ mentis hoc pignore animum audeam, Tua fecit Clementia. Josephum altera, Leopoldum altera, utraq; CAROLUMORBI exhibens adorandum. Loquatur Hungaria, per Te domesticis ; Imperium, Te Arbitro exteris pacatum turbinibus ; Romana Sacra cum omni Italia exitio erepta, sibi reddita. Quibus Te vindicem nisi Cælum fuisset largitum, Magni nominis umbram Venetias fasti memorarent, Aquilejæ fata Oriens innovasset.



vâisset. Hæc ne fierent, laureatus Tuus  
vetuit ensis, LADISLAI in Hungariam  
meritis eo solo minor, quòd posterior  
tempore, dum ante-murale illud Ori-  
entis, quod LADISLAUS olim Primus  
dedit Hungariæ, Tu hodie Primus ere-  
ptum Felici perinde, ac Forti belli  
Constantiâ reddidisti. Eo verò heroë  
tanto & major, quòd illum orthodoxæ  
in Orientem Expeditionis, tum etiam  
Romani Sceptri eligi contigerit; Te  
contrà & laureatum Religionis vin-  
dicem, & tanti Imperii datum sit esse  
Imperatorem. Quibus quid addi pos-  
sit, Virtus ipsa nesciat, nisi sit Tua.  
Cui vivere cedant unicum Superi! Sic  
enim & crescere semper, & Felicitatem  
Europæ concesserint. Tibi proin-  
de hæreditaria Transylvania, tot tan-  
tisq; per Te donata favoribus, dum



*supplex aduoluitur ; Genitorem, ac  
me Tuis æternùm Nominibus manci-  
pem, Tuum denique vitâ, fortunis,  
sanguine dici patere, & Felicissimum  
me reddidisti*

**M**AJESTATIS **T**UÆ

**Clientum minimum**

Joseph. Ignat. Bornemissa

L. B. de Káfon.





# ORATIO.



um multa divinitus ab aliis inventa, instituta ab aliis, & in ordinem digesta sunt, quæ Regnis splendorem, gloriam, & nominis immortalitatem concilient; tum nihil præclariùs, sapientiùs nihil cogitari potest, quàm ità augeri Rempublicam, ut non adscititio, aut ementito, sed sincero spectatæ Virtutis splendore effulgeat. *Perillustris, Magnifice, ac Consultissime Domine Universitatis Rector; Admodum Reverende ac Clarissime Pater, Inclytæ Nationis Procurator, Inclyta Natio Ungarica, Senatus, Populusque Academicæ.* Quod si enim & ipsæ stellæ mutuato à sole lumine resplendent, & tamen orbi universo conspicuæ, toti cælo magnum adferunt ornamentum; quid de ipso sole dicendum erit, qui suâ coruscans luce, alienâ non indiget, quin suam potiùs in alios partiatur? Nimirum maximus splendor ab intra est, & inde pretium sumit, ubi maximum est, scilicet à proprio. Sic quòq; fortunatissima luminis parens Hungaria suis amat illustrari radiis, sicque eos diffundere solet, ut sui sint, & sui esse videantur. Reges certè, quos cælum ipsi dederat, radii illi sunt, quibus ità Europam, atque etiam universum complevit orbem, ut ab illis lumen acciperet, quod ipsa dederat: sic mutuâ inter se concordia, alter alteri, & dat, & recipit, nullo sui dispendio, luminis maximo incremento.



In Divo Stephano Sanctitatem, victorias, felicitatem omnem est adeptus. Andreas I. collapsam in ea Religionem restauravit. Sanctus Salomon Rex exul, raro in terris exemplo docuit, melius esse animo dictare jura, quam populis. Geyfa I. à factis magnus, à virtute major, suam mirum illustravit Pannoniam. Geyfa II. jam à puero arma tractare didicit, ut adultus bellis, & triumphis clarissimus, Mars alter haberetur. Bela III. collapsam utcumque morum disciplinam acri censurâ correxit, & invecitas in Hungariam tenebras, Sol velut alter dissipavit, dum Regnum latrociniis liberavit. Emericus virtutibus Regnum excoluit, coercuit scelera, seque tum legitimum Hungariæ Regem ostendit, dum sacrâ insignis coronâ, hostes ipsos in amorem sui rapuit, & admirationem. Andreas II. quantum nomen! Justitia, & pax hoc regnante regnabant; dignus, qui bello sacro Imperator præficeretur. Carolus I. vel hoc nomine clarissimus, dum regnum amplissimum fecit, plurimum illustravit. Quid dicam de Ludovico I? sacrum ornavit diadema, Rex fuit Hungariæ, par orbi regendo. Albertus famâ ipsâ formidabilis, Turcas, & Polonos fugavit; in meridie virtutum Romani Imperii coronâ donatur, flentibus Hungaris, & flente illo, nisi quòd hi consenserint, ille invitus susceperit. Mathias Corvinus, quantum & in Oriente, & in Occidente emicuerit, orbis novit Christianus, novit Hungaria. Ferdinandus I. Magnum Nomen! hoc orto sole, fugatæ sunt noctuæ; sensere Turcæ, sensere hæreses. Nec minus Hungariam illustrârunt Maximilianus, & Rudolphus; ille confecit plurima, iste limites etiam sui in Pannonia Imperii extendit. Mathias II. quamquam plurimis illustris titulis, eo sanè, quòd sacram Coronam longo ex exilio reduxerit triumphantem, clarissimus. Ferdinandus II. Virtute, Sapientiâ, Victoriis gloriosissimus. Ferdinandus III. bello, & pace Serenissimus. Ferdinandus



nandus IV. spe quidem (nam maturè nobis ereptus est) quantum claruerit, in comperto est. Quid dicam de Leopoldo I? hic ille duplus Sol, & virtute, & gestis magnus. Nec minor Patre Filius Josephus I. non diu regnavit, nisi quod felicitate suâ sæcula plurima superârit. Pari virtute fulget regnans hodie Augustus Rex **CAROLUS III.** Hic ille, qui (quod de suis adulatio jactat Regibus) cum veritate: moritur nunquam; id est, Majorum vestigiis signatum iter decurrens, læta Imperio nostro auspicia jam olim dederat, nunc explevit. In hoc Principe, tanquam in suo Polo, molem suam Hungaria circumagit, in isto clavum felicitatis suæ figit, & ne quid minus, quàm Majestas tanta mereatur, afferam, ab hoc Majestatem, ab hoc magnitudinem suam desumit. Hujus Constantiâ, & Fortitudine, velut totidem fulcris sustentatur, ut æternum duraret, in quam suum Imperium edax ætas, suum fortuna consumeret.

Et certè posteaquam se in unius domo locavit, in hac felicitatem omnem est adeptus. Austria, Augustissima illa Cælarum Parens, quot Hungariæ dedit Reges, tot velut felicitatis rivulos in eam diffudit; ut exinde Majestatem suam, non tam illa, quàm orbis metiatur. Felix Regnum! quod tantis luminibus illustratur. At video Jam AA. omnium vestrûm ora, atque oculos in me esse conversos; scilicet ut Magno **LADISLAO** debitum dictione meâ pensum persolvam, tacitâ quâdam animi consensione imperatis. Agerem, nisi horror me aliquis conantem invaderet: sentio me argumenti Majestate attonitum, sentio amplius aliquid tanti Regis Virtutes exposcere, ac ut à novello Eloquentiæ tyrone exprimi possint.

Solent quippe summi etiam Oratores, initio dicendi insolito quodam terrore percelli, cum argumenti magnitudine territi, vix, unde initium ducant, reperiunt; egone tamen omnium unus, cui nec ætas,



nec ingenium, nec usus dicendi par cum iis est, hodie in ornatissimo hoc sapientissimoque Confessu, Magnum audeam LADISLAUM dictione meâ celebrare? gnarus quàm optimè, nunquam eò me oratione meâ perventurum, ut quàm Magnus est, non dico explanem, sed vel adumbrem. Sive etenim singulares animi dotes in partem laudis veniant; est exquisitissimis virtutum ornamentis decoratus. Sive incredibilis Divi fortitudo, & robur in censum meritorum fumantur; est fortissimus, potentissimus, gloriosissimus. Sive denique omnia ejus gesta, quæ maxima sunt, enumerentur, in omnibus Magnus est LADISLAUS. Est attamen, quod me solatur, atque etiam ad audendum erigit AA. vel ipsa hæc, quantam explicare non valeo, Divi Regis magnitudo animos sufficit Oratori, quòd me argumenti Majestate sentiam superari. Utpote, quæ ejusmodi est, ut licèt obvia tantùm de Magno LADISLAO adducere contendam, tamen non nisi maxima adferre possim. Lubens igitur victam submitto eloquentiam ei Principi, qui, quòd Reges multi non valeant, solus ausus est, solus confecit, cujus gesta omnes non tentent exprimere Oratores.

Verùm cùm Te Magne Rex LADISLAE comemoro, nec tui obliviscar Magna Pannonia. Quæ nominis prærogativa cui magis convenit, ac Tibi? ut cui omnem suam Rex maximus laudem voluit esse communem; qui omne studium in id solùm impendit, ut Te maximam faceret, per quam habebat, quòd Magnus esset. Magnus ergo es LADISLAE ab Hungaria, Magna es Hungaria à LADISLAO. In hoc cardo Orationis meæ vertitur. Mitto jam esse sollicitus de cultu Orationis, postquam tantus splendor est in ipsa materia; & tamen laudes tanti Principis nullis posse definiri terminis censeam, ne tamen immensum crescat Oratio, modum ponam, & efficiam, ut in altera ejus parte Magnum  
ab



ab Hungaria LADISLAUM, Magnam in altera à LADISLAO demonstram Hungariam: in priore Regem à subditis gloriosum, in posteriore subditos à Rege felices, in utràque LADISLAUM Magnum licebit perspicere. At tu Senatus Populusque Academice, túque præcipué Inclýta Natio Hungarica, veniam dabis tenellæ, & impolitæ Orationis facundiæ, quæ cùm tantum Regem laudare, pro dignitate non valeat, tantò majoris est, quem nulla dicendi vis sufficit celebrare; ut tamen aliquid in hac diei festivitate audeam, vestra me AA. erigit benignitas, quæ si Orationi meæ non defuerit, erit, ut quantus quantus est, Magnus ut est, appareat LADISLAUS.

Nihil esse tam deforme, atque ad summum Imperium acerbitatem naturæ adjungere, aureo monito testatum reliquit Magnus ille Tullius. Et verò si Princeps Imperii Sol est, congenitâ sibi beneficiâ, ut Sol ille naturæ, omnium oculis expositus, nemini non sui videndi, reperiendique copiam exhibeat, oportet. Qua de causa sapientissimè quondam in ore Jovis infantis apes mellificâsse finxerunt Poëtæ: non alio sanè fine, quàm ut Magno Monarchæ, benignitatem, affabilitatem, ac beneficentiam, non utilem modò, sed & necessariam esse toti manifestum reddant posteritati. Talem si natura finxerit Principem, nè ille numeris omnibus est absolutus: Magnitudo quippe Principis tum stabilis, fundatâque est, cùm benignitas Majestatem ei conciliat. Timeatur à subditis Princeps, sed & ametur, necesse est. Levibus sanè Majestas illa fundamentis innititur, quam si videas, Basilisci instar, ne quid inexpectati fulminis experiare, tibi consultum velis. Princeps eam vultu referre debet Majestatem, ut tanquam ad clarissimum aliquod & beneficum sidus certatim advolent omnes, & nemo sit, qui vitâ, fortunis, ac sanguine litare non ardeat, si per stragem humanam iter eidem ad salutem, & gloriam sit iter-



nendum. Verbo : ametur Majestas, ut timeatur ; timeatur, quia amatur. O Te igitur Hungaria fortunatam ! attigisti summum felicitatis fastigium, dum Regem nacta es LADISLAUM, in quo mutuis amor cum timore sic certabant officiiis, in quo sic pugnabat Justitia, ut clementia palmam ferret ; qui non aliter bella gessit, quàm ut Deo victorias reportaret, qui denique ità Magnus erat, ut hanc Tibi Magnitudinem referret in acceptis. Quòd enim Pannoniam difficillimis inquietam temporibus, pace, & tranquillitate donârit, quòd eam victoriis, & incredibili fortitudine usque adeo illustrem reddiderit, ut apud omnes maxima audire meruerit, quòd eam Sanctissimis legibus, sancitis æquissimis, pietate, & veri Numinis cultu ipse imbuerit, & exemplo illustrârit, quòdque præterea Sanctissimi Regis Stephani non in folio duntaxat Successor, verùm etiam virtutum hæres exstiterit, quid aliud est, quàm LADISLAUM Magnum esse ab Hungaria ? Licet mihi AA. illorum temporum seriem paulò altiùs repetere.

Latebat Belæ Regis devictus armis, & totâ jam exul Hungariâ, profugus forte incertâ Salomon, neque fatiis æquo perferre animo potens, ademptam sibi, quâ semel potiri concessum est, Regni Coronam. Arctè videlicet ambit Principum capita Regale diadema, quod si violentâ manu dimoveris, cicatricem acerbam, quæ semper moneat ad ultionem, inurit. Belæ itaque fatum præstolatur, & posteaquam ille fatiis concesserat, Albam contentione summâ accelerat ; & quia, qui resisteret, erat nemo, in Regem iterum acclamatur, folio, sacrâque Coronâ decoratur. Quis Tibi tum sensus erat oppressa tot calamitatibus Pannonia ? cùm videres Tyrannum in folio jura Tibi, sed non æqua, distantem ? quid animi ? cùm videres Geysam Tuum, atque Tuum illum comprimis LADISLAUM in Poloniam fugientes, quibus tamen Sceptra parabas, quibus habe-



habenas Imperii moderandas tradere contendebas? an-  
gebat Te scilicet Andreae Regis protervia, nec mino-  
rem in filio Rege, quam Patre ferociam praevidebas.  
At verò apage tuum isthic mærorem; reducem specta-  
bis cum Geyfa LADISLAUM, Sarmatico instructum  
exercitu, non eo quidem consilio, ut armis decerne-  
ret, sed ne Salomoni imbellis putetur. Quid agis Mars  
impie? Annè iterum, sed majori scelere, ad irritandam  
Herois invictissimi magnanimitatem ferale discordiae  
pomum spargere, aut certè offendiculum virtuti lon-  
gè illustrissimæ audes obtendere? Desine sitire sangui-  
nem, pacem amat LADISLAUS. En etenim, quod  
orbis obstupescat, fædus init, pacem confirmat, jam-  
que omnia in bonum vergere, jam intestinis, quibus  
conflictabatur diffidiis, jam mutuâ odii vi, atque flam-  
mâ restinctâ felix exultabat Pannonia. Videbat siqui-  
dem immunem se ab hostium quorumcunque furore,  
& incurfibus futuram, ubi pro se bellatorem tam Ma-  
gnum habuit LADISLAUM. Audite quæso, quæ  
bella, quam justè, quam feliciter confecerit.

Non diu pax tenuit, cùm Chuni, gens ad omne fla-  
gitium projecta in fines Hungariæ penetrare, immixtis  
populatoribus vastare agros, cædes ac incendia circum-  
jectis regionibus objicere, ipsis etiam Hungariæ visceri-  
bus bellum inferre attentârunt. Jamq; eò devenerat im-  
pudentissima barbarorum superbia, ut direptioni tem-  
plorum, sacrorum omnium profanationi indultum mi-  
nimè vellet. Trahebat innumeram post se captivorum  
multitudinem impia barbaries, nec tamen impunè.  
Adest quippe LADISLAUS, parvâ quidem, sed validâ  
manu; atque, quo erat robore, ipse in confertissimos se  
hostes inserit, quatuor in fronte pugnantes obtruncat,  
suis ad victoriam campum aperit, sibi ad gloriam.  
Pugnatur strenuè, fugantur hostes, denique interner-  
cione delentur. Quâ militari expeditione quid nos  
potissimùm mirari jubes Rex maxime? an Sapientiam



in aggrediendo tuam? an fortitudinem in repellendo?  
an pietatem in misera captivorum multitudine liberanda?  
Eximia sunt illa quidem, & ex iis singulis laudationum  
argumenta fument Oratores alii, me verò imprimis rapit  
Tua illa incredibilis pietas, & clementia, cui nihil iri re  
tota fuit antiquius, quàm miseram plebem ab immani  
barbarorum tyrannide in libertatem assere. Vestram fidem  
AA.! fugientis terga hostis cædebat miles Hungarus,  
summos juxtà ac infimos æquali forte plectebat, nemo,  
qui resisteret, supererat, omnes de salute sua conclamabant.  
Quàm facilè licuit fortitudinem suam ostentare LADISLAO,  
cui obstaret nihil: qui si cupiat modò, hostem prostrernat.  
Sed abstinere visum tantisper, dum principem projectioris  
audaciæ Chunum conspiceret, peculiari congressus certamine  
spolia eriperet, illustri magnanimitate barbarum obtruncaret.  
Prodigium res ipsa videri posset quàm plurimis, si gesta  
ab alio foret. Ut etenim tentaverint alii, exequi soli datum  
est LADISLAO: ut cui robur & pietas hoc uno discrimine Magni  
nomen peperere. Adderem hìc ego, qualibus victoriis Bulgariam  
peragravit ac Misiam, quàm fortitudine Græcos domuerit,  
superaverit Roxolanos, Barbariem ad ultimam Mæotim  
compulerit, eam gloriæ, & fortitudinis vel apud hostes famam,  
an magis terrore, ut barbarorum regio ac feritas superesset  
nulla, quæ auderet, nisi vinceret, LADISLAUM bello laceffere.  
Sed domestica me revocant bella, ut quem à victoriis contra  
exteros hostes reportatis Magnum ostendi, eum quid domi quòque  
egerit, quanta cum moderatione Patrum Salomonem profligavit,  
palàm faciam.

Posteaquam còmuni universorum suffragio Hungariæ  
clavum susceperat, an in eundem coactus potiùs est  
LADISLAUS; in id principes intendit curas, ut quod per  
tam varios bellorum tumultus convulsam repererat,  
tranquillitate donatum in ordinem redigeret.



ret. Quod quidem pacis studium eò in Principe laudandum est amplius, quò certiores ei famulabantur victoriæ, si armis rem gerere voluisset. Verùm semper virtuti adversatur perfidia. Parricidam etenim dignius, quàm Patruum dixerim Salomonem; qui, quanquam jam antea bello sæpe superatus vires senserit LADISLAI, ultro tamen fortunæ caput objicere, & incredibile Magni Regis robur experiri tentavit. Habet hoc sæva regnandi libido, ut posteaquam Sceptra & Coronas spe devorârît, se quoque insani dominatûs victimam ultimo discrimini objiciat: seditiones excitet, ut opprimatur; per busta patriæ grassetur ad solium, ut in ejusmodi ferali incendio consumatur. Omnem Protei more formam mentitur, quisquis Regni ambitu tenetur, ut si quem potentem æmulum spectet, suis vectigalem fraudibus reddat: tum verò si aliter nequeat, galeâ quòque ac chalybe suppressere adlaborat. Existimâssefem ego adversâ clade profligatum, mansuetiora cogitâsse Salomonem, néque per summum nefas, Patriam finitimis adhuc barbarorum bustis acerbè fumantem laceraturum. Verùm, ô præposteram dominandi libidinem! Clasticum Regno toto intonat, perduelles nonnullos in criminis societatem advocat, patriam prætendit libertatem, Principi juxtâ, ac Regno supremum molitur occasum. Quid hic Magnus LADISLAUS? diadema, Sceptrum, fasces, si Proceres velint, Patruo, sanguini suo consignat. O novam bellandi artem! O novum vincendi genus! ità vincere, ut hostis triumphet; ità vinci, ut palmam feras. Obstupuit tantam cognati sanguinis pietatem Salomon ipse, minimè tamen ferociam posuit. Adeo nempe crescit rabies, quam epoto semel humano sanguine ira accendit. Ergo ad fraudes vertitur, atque ut suæ dominandi libidini consulat, pacem simulat, vultu pius, animo crudelis; victas porrigit manus, ut stringeret; in amplexum ruit, ut inter oscula Patruum enecaret. At verò, quæ



Magni Regis Sapientia erat, quascunque ei struxit insidias, amicâ ad fædus cohortatione simulatas, providè elusit, quæcunque nefasta in eum procudit consilia, victor evertit, & hinc plurimam laurearum segetem, manipulos gloriæ, fructum retulit triumphorum.

Angebat ferocem, & tanti æmuli impatientem Salomonis animum, tam dextrè toties delusa fraus; videbat siquidem vinci LADISLAUM non posse, quem ubique victoria, & jurata victoriæ pietas comitaretur. Minimè tamen desperat, numerosum scribit exercitum, barbaros in suppetias advocat, ut pietatem simul everteret, & firmaret triumphum. Commovit animum Magni Regis impia hæc Patruï ferocia, & quanquam fraterna pietas mitiora suaderet; Justitia tamen, ut scelus plecteret, imperabat. Non semper juvat clementia, quandoque frons tristior torqueat nubila. Atque si unquam, hoc certè in prælio docuit orbem Regum fortissimus, quàm gloriosus in vincendo, quàm pius in profligando, quàm in utròque Magnus esset. Decretorio Marte pugnatur, immani strage cæditur hostis, victor triumphat LADISLAUS, inimicum fundit exercitum celeritate tam mirâ, ut vix, qui cladis nuncium referat, reperiat. I nunc magne Rex, per strata hostium cadavera iter Tibi patet ad gloriam, festivâ adventûs Tui famâ universam comple Hungariam; nemo Tibi deinceps, qui Te ausit laceffere, quando hostem non tam domuisti, quàm enervâsti: & licèt fortè vires sumat crudelitas, solo triumphantis perculsa nomine, vasa releget, séque ultro cadaverum umbris permiscebit. Quid verò tanta in triumphi gloria factum à victore censetis AA? Audite portentum, hoste domito lachrymatur Dux Magnus. LADISLAE! Adeone Tibi vilis justitiæ vigor est, adeone prostitutus triumphus? adeone misera victoria Tua; ut eam communi omnium voto exoptatam, DEO, Regno, populis, Tibi multò utilissimam, in populares tamen  
Tuos



Tuos partiri non velis communi lætitiâ? Ità fanè victo-  
ri ego succenserem LADISLAO, nisi compertum mi-  
hi foret quàm optimè, victricem ipsius pietatem la-  
crymas simul, & tela in hostes depluisse. Felices la-  
crymas! quibus Reipublicæ salus, civium ruinæ lenie-  
bantur. Acetum Magni Hannibalis, saxa molliverat;  
lacryma Magni LADISLAI corda infregit; eo tamen  
aceto & major, quòd illud rigoris, hæc pietatis nota  
ac tessera sit. Inest nempe & lacrymis pondus fu-  
um, si à forti profundantur Marcello: O Te, Rex Ma-  
gne, victorem vel hoc longè maximum! quòd vel la-  
crymis Tuis omnium animi herbam porrigant! neque  
enim victorem quenquam censuerim, nisi hostem sic  
proterat, ut quod vincendum sit ampliùs, occurrat  
nihil. Tu verò Magne victor sic hostilem fudisti exer-  
citus, ut omnium Tibi animos devincires, & quod orbis  
obstupescat, ipsum Salomonem hostem Tuum, Victum,  
victorem, & Magnum efficeres. Illustre enim vero  
victorum par LADISLAUS, & Salomon! ille in pur-  
pura, hic in cilicio, alter in throno, in solitudine al-  
ter, at LADISLAUS ipsius victoris victor.

Hactenus, quàm magnus à fortitudine incredibi-  
li, à triumphis post hominum memoriam inauditis  
fuerit LADISLAUS, satis superque ostendi, nunc eti-  
am, quantus à legibus conditis, & à veri Numinis cul-  
tu fuerit, videamus. Quantum in omni bene morata  
Republica, leges, & sancita roboris habeant, omnibus  
est in comperto. Tolle legem civitatibus, mox di-  
scordes inter se cives, mutuis se concident vulneribus,  
urbem ipsam in ultimum exitium proturbabunt. Hæc  
basi Regnorum salus, pax, & concordia nititur. Jam  
verò, quàm convulsam & sinè lege, excussis rectæ  
rationis habenis, in omne scelus & flagitium proje-  
ctam repererit LADISLAUS Hungariam, cùm pri-  
mùm ejus confedit in folio, testentur barbari, ac san-  
guinariū popularium eorum, quos tunc sibi subjectos



habuerat, mores. Quid enim id temporis iura dictabat, quàm profligata vitæ licentia? Turbata omnia, Numinis ipsius immortalis sacra Regno crederes exulare. Vicit Religionem superstitio, pudorem impudentia, Virtutem scelus. Æquata solo templa, ut excitarentur flagitiis; clausa erant Justitiæ tribunalia, ut sola patentibus foribus regnaret perfidia; idola passim venerationi proposita, veri Numinis cultus pene extinctus, conculcata Magistratum authoritas, splendor omnis aris ademptus, quid multa? univèrsum Regni corpus fædè dilaceratum, vel vindicem Dei manum deposcebat, vel Regem LADISLAUM. Assurge jam depulso mærore felix Pannonia, naçta es Regem, quem desiderasti, qui exulante nocte, fugatis tenebris, serenus tibi illucescit. Et certè, quantùm gratulari sibi debuerit Pannonia, quòd Regem tantum à cælo acceperit, ex mutata Regni illius tempore rerum omnium facie, paucis accipite.

Revocate, si lubet, in animos, & quasi sub aspectum diem illum proponite, dierum longè pulcherrimum, cùm Magnus LADISLAUS (solis instar, qui quæ terrarum orbi contulit beneficia, quotidie veluti spectaturus exoritur) lucem suam Majestate plenissimam, ipsi huic Hungariæ intulit solio, quod augmentum quantumvis sit, si Magni tum fuit hospitis capax, idcirco fuit, quia LADISLAI erat. Ecquis enim erat tum barbarus, cujus cor non emollivit? quæ superstitio, quam non evertit? quis senatus, cui suam non reddidit æquitatem? quæ aræ, quas sacerdotibus non instruxit? quæ denique virtus, quàm non induxit? non exercuit? Equidem, ut sua Regno desiderari Themis non posset, Jus (quod decretale compellant) tribus conscripsit voluminibus, ne finè lege, belluarum more per sylvas palantium errarent populi. Ut pristino aræ splendore fulgerent, septuagenis plura templa constituit, quæ inter Varadinum hodie, & Zagrabia suos,



suos, quibus gloriantur, Mitræ splendores, LADIS-  
LAO referunt in acceptis. Hæc templa, ceu totidem  
propugnacula universam Hungariam in stygii conatus  
hostis tuentur; néve horum propugnatores desideres,  
quadragenos sapientiæ virtutisque illustres gloriâ mi-  
nistros fundator adnexuit, & cultores; horum studio  
sua domui DEI ut constet reverentia, suis flagitiis, &  
erroribus metus incutiatur, virtus, pietas, bonum o-  
mne in Christiana sacra promanet. Nimirum ut ani-  
mum LADISLAI, ad tam Regiam celsitudinem jam  
tum informaret DEUS, cum primùm corpori socia-  
vit, femina illi quædam sui amoris asperfit, quæ supra  
ætatem semper adulta, incredibile dictu est, quantam  
pietatis segetem, quàmque largè profuderint. Equi-  
dem si studium illud LADISLAI erga DEUM, seor-  
sim ab animo contemplor, non est, cur multum ad-  
mirer, aut ingentes in templa, atque basilicas largitio-  
num sumptus, aut exaggeratam pecuniæ beneficen-  
tiam in egenos, aut ipsum illum, sui quasi dispendio  
fervorem, quo barbaros è feræ gentilitatis tenebris, ad  
lucem Romanæ veritatis adducere contendit.

Quod dum dico, videte iterum AA. quàm Magnus  
fuerit à sua LADISLAUS Hungaria, qui ejus populum  
non tam sibi, quàm DEO his omnibus studiis subju-  
gavit, Orthodoxæ religionis limites ad mensuram Re-  
gni dilatavit, tùmque maximam omnium reportavit  
victoriam, dum aliquam cælo prædam intulit. Sic  
gaudens gentes domare, ut in meliorem affereret li-  
bertatem. Rex idem, & Apostolus, supra humanam  
conditionem fortis, & pene supra prodigium pius.  
Temesii vos testor flumina! victricia Magni LADIS-  
LAI compello labara! stabat in armis Chunus, stabat  
& Rex Magnus, hoc nomine vel à suo exercitu dignus.  
Et jam victoriæ cupidissima legio Hungara cum tribus  
Copulchi legionibus, ac florentissimo equitatu con-  
fligit, hostésque nefarios, Pannonicæ libertati, vitæ,



& sanguini imminentes prosternit, fundit, occidit. Triumphantem jam vos existimatis AA. LADISLAUM? at nondum extorta est barbaro palma, contemni debuit à victore victoria, ut hanc vinceret; dimitti immunis à cæde hostilis exercitus, ut mansionem trophæi adderet; è fuga retrahi multitudo, ut ad famam partorum triumphorum conticesceret. Quid enim audio ex Magno Rege? Parcite, inquit, humano sanguini, parcite milites, sat cruoris hostilis effusum. Fugientes comprehendite barbaros, ut si fortè ad orthodoxam fidem animum advertere libuerit, Divina capiant sacra incrementum. O dignam Christiano Duce victoriam! quâ non tam hostes, quàm victoriam, ipsosque adeo triumphos duxit in triumphum. Vicisti nunc si unquam, vicisti Rex Magne, Apostole Magne LADISLAE! Civem servasti & hostem; illum triumphis, istum cælo. Felix victoria, quâ animi, non corpora debellantur! Neque mirum videri posset alicui, quòd cælum etiam, pro quo unice vincere curabat, sibi stipendiarium quodammodo fecisse sit visus. Quoties pugnae suppetias ferre conspecti cæli genii? dum de sui LADISLAI capite agebatur. Quoties ipsa in victorias conspirârunt elementa? Ad Bessorum immanem solitudinem cum validissimo suo, cum deducere tur exercitu LADISLAUS! non jam furori hostium & armorum, sed vastitati Regionis, ac fami victima immolandum? Cum Superûm gratiâ missis cervorum, bubalorumque agminibus fatiscens pene exercitus, inediâ, ac supremo exitio est liberatus. Quoties inter ærumnas sitis extremæ, cum exanimato pene luctandum erat exercitu? cum rursus bis, terve adacto in petram hastili, aqua in vitam compulsa, suæ, suorumque ruinæ depellendæ elicitâ. Atque adeo eodem ictu, quo petra contacta, vita militi, hostibus terror, Duci nominis immortalitas comparata. Sic nempe omnia serviunt ei, qui pro cælo pugnare consuevit.

Unum



Unum superat, quod si non enervare, infringere ut-  
minùs poterat Magni exercitum LADISLAI. Quid  
illud AA.? Enimvero, si quando sua stat paroemiæ ve-  
ritas: pecuniæ obediunt omnia, tum vel maximè, in are-  
na Martis compertum est. Hic ille est aries fidei ad de-  
fectionem; moenium fortissimorum in ruinam; ubi  
aurea Magni illius clitella propugnantium animis ad-  
movetur. Victrix Magni Regis acies fugientem hostem  
laceflebat acerrimè, cui, ut à persequendo tantisper quie-  
sceret, vafer hostis auream ciet pluviam, ut emeret vi-  
ctoriam. Verùm novit quàm optimè Magnus LADIS-  
LAUS, turpe esse militi aureis imbribus fascinari; quo-  
rum latenti toxico dictum fidei Sacramentum, & Pa-  
triæ salus enervetur. Novit plures everfas auro Pro-  
vincias, quàm ferro; novit ejus denique esse indolis hoc  
blandum venenum, ut posteaquam vires omnes hosti-  
li morem gerentes reddit arbitrio, eò majore, quò  
tectiore periculo generosos fascinet spiritus, ut quan-  
tumvis in bellicam conspirare nitantur fortitudinem,  
subdolo tamen ab hoste consopiti exstinguantur. Er-  
go invocato rursus in suppetias cælo, aurum in saxa  
indurat, vel ut Victoria non pretio hosti emenda vide-  
retur, vel ut milites sui in hac marmoris quasi imagine,  
cor, quale gerere, dum hostem persequuntur, oport-  
teat, intuerentur. O Regum maximorum prodigium!  
O Regem, quem si prisca vidissent sæcula, non homi-  
nem, sed latens aliquod in homine Numen adorâssent!  
Sed quid ego hæc vobis AA.? Suspendite tantisper ad-  
mirationem: nondum quantus quantus est, apparet  
LADISLAUS. Magnum vidistis bello, majorem pace,  
maximum Religione, nunc etiam Magnum cognoscite  
ab Hungaria, quæ eum tanto sublimavit in solio, quod  
olim Stephanus Regum sanctissimus, non adeo purpu-  
râ, àc virtutibus redivivi instar Numinis illustravit.

Dicite, vos ipsos AA. contestor, quàm id præcla-  
rum, quàm LADISLAO gloriosum, quòd Regnum



tantum, quantum esse Hungariam nemo non suspicit, suo se Duci, Protectori suo ultro submiserit, imò reluctantem dominari coëgerit. Cessit vitâ perinde ac folio Rex Geyla, luctus & squalor Regnum omne inundavêre. Necdum moerorem posuit defuncto Fratre Rex Magnus, nondum plena, & ubique victrix Majestatis præsentia videbatur, non astu, non fraude, non armis sacrum petebatur Diadema, sola sese explicabat Principis gloria, jus Regium occurrebat, obversabantur animis augustæ virtutes, perorabat fama, suadebat felicitas. Cùm ecce Regni Procerum, ac populi studia suo-pte magis arbitrio, quàm alienis impulsu viribus in Regem deposcunt LADISLAUM, reluctantem cogunt, coronam inferunt, atque ut imperet, raro posteris documento vixdum exorant. Ex quo sanè Magno Regi eam accedere gloriam, quâ vix illustrior contingere possit, inficiabitur nemo. Quid enim usque adeo palam orbi reddat Principis magnitudinem, àc communis & libera, inviti tamen, in Regem electio. Parvi penditur jure, qui quis armis eluctatur in solium; minoris, qui auro Diadema emit; minimi, qui fraude, & dolis, non virtute ad id honoris fastigium sublimatur. Quantumvis etenim ferro sceptrâ comparare illustre sit, contemptui tamen, vel certè odio haberi videtur, cùm populus triumphorum cursus morari audeat, & spe ut minùs præviæ palmæ velut dulcorem præcerpat. At cùm longâ Victoriarum serie, sanguine, & virtute eò Dux pervenit, ut ei ad Regiæ dignitatis fastigium properanti obsistat nemo, quin imò si reluctantem in solium populus omnis attollat, tum enim verò dignissimus omnium, qui Magni nomine ab omnibus decoretur, est judicandus.

Quantum igitur splendoris LADISLAO contulisti Pannonia, quæ illius potestati ultro libens Temet non modò concesseras, verùm etiam, ut Tibi præesset, adegeras; ostendisti, quanti faceres Principem, cui vo-  
lens



lens sic morem gerere voluisti, ut majorem Te à Rege tam Magno fore existimares. Quidquid virtutis in Principe Maximo repertum est, id Tu, dum Tuum esse Regem voluisti, nova quâdam claritatis accessione auxisti. Quem enim prætereas, Fortem Te, atque invictam, cum ejus tutelæ Te credidisti? Quis nesciat Sipientem, cum leges ab eodem accipere voluisti? Quis justam, ac moderatam, cum ad ejus Te finxisti arbitrium? Omnibus denique virtutum ornamentis quis instructam ignoret? cum omni eundem observantiâ, omni dignum obsequio, Tuo Suffragio Regem pronuntiasti. Quæ verò hîc Tibi sententia est inclyta Natio Hungarica? Annon ubique Magnus Rex Tuus? Annon Magnus à victoriis? Annon Magnus à pace, à Religione? Quem extera Regna Tibi invideant, quem Tu sola, & cælum capiat. Age ergo, incide cordi Tuo: Magnus ab Hungaria LADISLAUS. Jam verò, an etiam Magna sis à LADISLAO Hungaria, vide. Sapienter ille, qui, quæ caput inter & membra est, eam Regem inter ac subditos intercedere debere asseruit communionem. Id si à vero non aberrat, nullo negotio colligas, magnitudinem populi, & Regni totius, à magnitudine Regis esse metiendam. A Tua tanto Rege ter felix Pannonia Majestate, & magnitudine me rursum sentio absorberi. Quas enim hîc ego virtutes enumerem? cum omnes in eo, tanquam in Regia se ipsas decorârunt. Quæ bella recenscam? cum plurima confecerit. Quas dicam victorias? cum ubique triumphaverit, ubique hostes protriverit, imò plures palmas reportare cum potuerit, ultro tamen noluerit. Res tam amplas, tam Divinas vel Tullius sim, si exornem. Vel ipsâ taciturnitate eloquens Orator, qui, quod nunquam satis laudandus sit Rex maximus, tacendo exprimam. Siquid tamen conjicere vobis de LADISLAI gloria libeat, non ex meo, non ex Hungariæ ipsius, sed omnium pene gentium lato judicio aliquam fa-



cite conjecturam. Quis enim de Principe nostro sensus Germaniæ? Ejus fortissimorum Heroum parentis? Ejus, quæ sola ruentis cæli mole timebat opprimi, quæ sola Romanam elusit potentiam; Ejus, cujus ad nutum Europa vertitur, quis inquam sensus? Concordibus Septem-virum votis in LADISLAUM conspirat, atque ad moderandas Romanas Aquilas, ad fasces imperii capeffendos invitat. Nimirum Carolum in eo Magnum, Theodosium, aut Constantinum, & meritò figurabat. Verùm quæ erat Magni Regis, modestia, renuit hanc tam amplam dignitatem, indignum se ratus, cùm dignissimus esset, tantum Imperium moderari. O Te vel uno hoc decore longè felicissimam Hungaria! cui Numen suum non negavit; quæ quòd Magna sis, Tuo debes LADISLAO. Quid jam dicam de Regionibus cæteris? Quid senserat Gallia? quid Italia? quid Britannia? quid Europa? Grassabatur execranda Saracena lues per Orientem, & jam universam Asiam inundavit. Nil agere minus Europa potuerat, atque ne paria fata sentiret, juratis in Hydram viribus ut armaretur. Dolori erat æquissimo tantam soli ubertatem, Regionum amœnitatem, vetustatem, ac amplitudinem urbium, animorum florem, denique tellurem ipsam vestigiis, ac sanguine DEI hominis ac Servatoris sacratam, barbaris pedibus proculcari, & cæcâ superstitione involvi. Quid ageret hoc ancipiti rerum cardine jactata? Coactò trecentorum millium exercitu contendit in Asiam; unus deerat, qui robur hoc Europæ in Saracenos duceret, supremus belli Imperator. Poterat Magnos Orientis Augustos, poterat Gotifredos, Balduinos, Tancredos, ingentia heroum nomina, in id gloriæ culmen evehere, sed major his omnibus visus LADISLAUS, omnium animos occupavit. Nimirum optimè in eum totam Palæstini belli molem conjiciendam censuerant, quem ubique comitarentur adoreæ, cui vidisse hostem par erat, ac vicisse.



cisse. Non latebat eos, vel Nomen ipsum LADISLAI fulmineum Barbaris, cujus vel obtutus aut in formidandam eos fugam conjiceret, aut in sui raperet venerationem. Nec moras traxit Rex Magnus, qui licet honores fugere potius, quam ambire in more habuerit, hanc tamen Summi Imperatoris dignitatem sibi passus imponi. Nil Magnum sese ratus egisse, nisi etiam rigatas Domini cruore terras à Barbaris vindicaret. Noluit etenim Rex Apostolicus, & verè Magnus, cœcæ gentilitatis tenebris involvi Regionem illam, in qua lux maxima, Christus, Servator hominum est exortus. O Magnum merito Principem! quem omnes gentes, Regna omnia tanti fecere.

Quæ de eo Bohemiæ opinio? Victricem exoravit manum, ne hostium furore oppressa, jugum sentiret. Quid sensit Polonia? Suam flexit gloriam in admirationem. Tantus scilicet ubique suspicitur ab Hungaria LADISLAUS, Tanta es à LADISLAO Hungaria! Quanquam nondum, quantam à Maximo Rege Majestatem acceperis, satis ostendi. Nimirum dum aciem oculorum in Solem intendimus, cæcutimus. Ut quid enim Dalmatiam Tibi adjecit, & Croatiam? nisi ut major fieres. Quin imò edic amabo, an non omne Tibi gloriæ culmen adeptus? ut per eundem maxima redderis.

O te fortunatam! tanto Tui ab hostibus vindice, tanto Tuo propagatore. Age, Te ipsam, quaquâ pates, circumspice, in quamcunque partem oculos verteris, excitata felicitati Tuæ cernes præsidia. Quis Te oppugnare tentet tot Regnis, tot fortissimis Populis, tantâ divitiarum amplitudine, tantâ animorum concordia, tanto Rege undique cinctam, & vallatam? Atque nisi Coelum tantum Tibi jure Principem invidisset, eumque præpropere sibi fato asseruisset, sperandum erat, fore, ut recuperatis à Barbaro sanctioribus terris, amplior surrexisses, Téque in ævum omne à LADIS-



LAO Magnam, & Magnum à Te LADISLAUM coràm suspexisses. At posteaquam Tibi ereptus est Rex Maximus, & Coelo adlectus, quid aliud superat, quàm ut pullam induta vestem, Magnum Tuum Regem deplorares. Et verò vix Regem extinctum fama orbi enunciat, insolitus Hungariam universam planctus invadere; Patrem Patriæ alii, pientissimum alii Regem ingeminare, pars unicum Regni Servatorem, Propugnatorémque fortissimum dicere, plerique Parentem pauperum, multi sanctissimum Principem, faustissimis omnes nominibus certatim extollere, nemo pro dignitate laudare, Regia universa pullâ veste, promissâ Cæsarie Regem Maximum, & clementissimum triennio toto deplorare.

Sed parce moerori Tuo tantisper Hungaria. Vivit etiamnum in Apostolico Rege CAROLO III. Magnus LADISLAUS. Nolim hîc ego augustis Magnitudinis hujus virtutibus recensendis insistere; lubens silentio prætereo pietatem illam tam singularem, quâ Divini Numinis cultum Regnis omnibus promovere, errores proterere, æquitati prospicere, virtutes Regias, & ut paucis dicam: Austriacas suo etiam exemplo docere orbem consuevit, ut nominis sui, id est, Apostolici mensuram Regis impleret. Nihil dicam de eximia ejus Constantia, nihil de incredibili Fortitudine; Divinum illud duntaxat studium, quod Tibi, ut Magna fieres, impendit, præterire non possum. Imminebat feralis Hungariæ tempestas, universus in eam armatus Oriens, jamq; nisi invictissimus obicem statuat CAROLUS, perierat. Hostis erat vincendus ille, qui suo opte ingenio super omnia semper elatus, jam verò longo virium suarum usu, & fortitudinis experimento supra modum tumidus, certior sibi de victoria, quàm de prælio videbatur. Auxere præfidentiam virium propugnacula gemina, Temesvarinum, & Belgradum, quorum utrûmque sic naturâ munitum, ut ars cedere; sic arte perfectum, ut natura



tura superari videatur. Accedunt impendia annis compluribus meditata.

Ecquis amabo hanc arrogantiam frangeret? hos elideret spiritus? Nescit timere, qui maxima sperat. At verò tantum esse hostem oportuit, qui Regi tanto congrederetur. Metuenda equidem, non diffiteor, difficultas invadendi hostem, sed CAROLI auspiciis non sine Numine perumpenda. Paucis: æquo Marte configitur, cæditur Barbarus, castris ac laureâ spoliatur. Vide quæso Hungaria, quantum Tuis studeat commodis, quam uno non contentus triumpho, nisi etiam plurium accessione terrarum Te ipsâ Te redderet amplio rem. Victoricibus quippe armis occupatâ Temesiâ, Belgradum aggreditur, Serviam Tibi Serviam constituit, Valachiam inde suo perstringit robore, Turcarum omne Imperium tanto percellit timore, ut posito fastu supplex victori accideret, pacem oraret, quam temeritate sacrilegâ rumpere attentavit. Felix, iterumque felix! cui nunquam Magnos liceat Reges desiderare! si se cæteræ gentes, & nationes magnas hætenus prædicabant, quanta eris tot ditionibus aucta? Minus tutam, Tuique securam minus Temesiâ Te orâ censebas? erecta hodie munimenta terrori hostibus, Tibi tutelæ superant, & securitati. Metum Tibi vicina Servia incusserat? Quære amodo, ubi, aut quis sapienti esse possit locus timori? Adeste jam, si visum animis, tantæ virtutis Barbari æmulatores, numerosos centuriate exercitus, vires exerite, Pannoniam tentare licuerit forsitan, stabit attamen Magna, bino invicta Numine, LADISLAO Magno, & CAROLO III. Rege Magno. Eja, Luna facesse Thracica, miserandâ nocte, solisque lucere Barbaris solita. Cælo excessisti Hungariæ, in quo Sol CAROLUS fulgore suo tenebras dispulit, lucem reduxit, & Magni LADISLAI tempora, ut iterum contremiscat Barbaries, nos vivere fecit.



Age proinde , agnosce sortem Tuam Hungaria, Tibi  
 Tuæque applaude felicitati, eò cumprimis, quòd & Ma-  
 gnus à Te LADISLAUS, & quòd Magna à Magno sis  
 LADISLAO. Gratulare subinde , quod alterum in  
 CAROLO III. nacta sis LADISLAUM, qui omni lau-  
 dum genere gloriam nominis virtutibus æquat. Omni-  
 bus incede lætitiis, habes Regem Maximum, qui suam  
 Tibi Magnitudinem, non ut alii precariam, impertitur.  
 Non est, cur deinceps pluribus Tibi votis pacem, secu-  
 ritatem, rerum omnium abundantiam flagites ; omnia  
 ista CAROLO III. suppetunt imperante. Utque nihil  
 ad summam Tuam felicitatem audeas desiderare ; ad Te  
 postremum mea se convertit Oratio Magne Rex LA-  
 DISLAE: qui olim, dum viveres, à pace, victoriis, Re-  
 ligione, virtutumque omnium ornamentis usque adeo  
 Magnus exstiteras, ut Tuam per Te Magnam Pannoniam  
 redderes, à qua ipse habebas, quòd Magnus esses ; nunc  
 Coelis admotus (oro, obtestorque) ne sine, ut Magnitu-  
 do ejusdem aut casu, aut tempore minuatur. Cerne  
 moestis indies spectabilem oculis hærede orbatam Re-  
 gni tui Coronam ; nec Magnum in Rege Magno, Magni-  
 tidem Filii ac Regis dici Genitorem. Tu Rex Maxime  
 juxtà atque Sanctissime, augustam Tuis de Coelo Proge-  
 niem impetra, felici successione Majorum instituram  
 vestigiis : Magni Parentis CAROLI, Magnum Filium ;  
 Magni LADISLAI, Magnum Successorem ; Magnæ  
 Hungariæ, Magnum Regem. CAROLUS porro Rex  
 æquè, ac Cæsar, Tuis Suisque Virtutibus, diu Europæ,  
 diu Germaniæ, diu Hispaniæ, diu Hungariæ,  
 ac bonis omnibus vivat, dum orbis universus  
 agnoscat hodiedum in CAROLO Rege  
 Magno vivere LADISLAUM,  
 quem Magnum



D I X I.









496